



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

Quæstio IV. Ad Titulum IV. de Sponsa duorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

quia Concilium loquitur de illis casibus ab Episcopo absolvendis, *qui nec publici sunt, nec ad forum externum deducti*, ut pat. ex *cit. c. 6.* ibi: liceat Episcopis ab irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto *occulto* provenientibus, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & *exceptis aliis deductis ad forum contentiosum* &c. at cum hæc censura non incurratur ipso facto, sed per *sententiam Judicis*, jam est casus deductus ad forum externum, & quidem cum effectu, ut requirit Barbosa *cit. num. 38.* ergo non obstante, quod *predicto modo* casus sit occultus, adhuc non poterit absolvi ab Episcopo.

728. Quæres. 2. quæ sit pœna assistentis matrimonio non subditorum? Resp. Parochos, vel Sacerdotes alios, qui sine legitima facultate matrimonio sibi non subditorum assistunt, vel prædictos Sponfos benedicere ausi fuerint, ipso jure tam

diu manere suspensos, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur; sic Trident. *de Reform. matr. Sess. 24. c. 1.* Hanc suspensionem esse læ sententiæ constat ex verbis: *ipso jure suspensi manent*; ab ea tamen excusat ignorantia, modò non sit ita crassa, ut sit ingens temeritas; sic Barbosa. *in cit. c. 1. Vers. ausus fuerit*; constat etiam ex *num. 723.* imò juxta Castropal. *cit. num. 15.* modò non sit crassissima. Testes porrò, qui assistunt matrimonio clandestino, vel sine Parocho, vel denuntiationibus culpabiliter omisiss; imò, & Parochus, vel ejus delegatus, qui assistit matrimonio sine debitis Testibus, arbitrio Ordinarii puniendi sunt, cum & ipsi violent inderdictum Ecclesiæ, nec pœna jure definita sit; Sanchez.

l. 3. hic D. 46. n. 7.



QUÆSTIO IV.

Ad Titulum IV. de Sponsa duorum,

729.



um quandoque contingat, vel ab eodem dari fidem conjugalem duabus, vel ab una duobus; ex quo lites variae, & quandoque mala gravia enascuntur; hoc titulo decernitur, quid in ejusmodi casibus agendum? supponendum autem ad ea, quæ dicenda sunt, duobus modis posse alicui ab altero dari fidem de matrimonio. 1. *fidem pactionis*, quæ nihil aliud intelligitur, quam promissio matrimonii facta mulieri, vel contra, si permisserit eam rem secum habere; quod non debet intelligi de copula fornicaria (hæc enim conditio, cum sit turpis, habetur pro non adjecta) sed de conjugali, post matrimonium contractum. 2. *fidem consensûs*, quo intelligitur promissio vera de præsentis; his præmissis;



ARTICULUS I.

Sponsalia de futuro unius cum pluribus.

Quæstio est. 1. quid resolvendum in casu, quo unus, vel una pluribus successivè dedit *fidem pactionis*, seu, quod idem est, si unus, vel una cum pluribus contraxit Sponsalia de futuro? Resp. in hoc casu, si priora non sint legitime soluta, Sponsum teneri manere cum prima, relicta secundâ; quia sic secunda sunt promissio rei illicitæ, nimirum ducendi secundam, contra fidem primæ; quod jure naturæ illicitum est; consequenter secunda sunt invalida, & primis præjudicare non possunt.

Quæstio. 2. quid resolvendum in prioris casu, si Sponsalia secunda sint consummata? Resp. in foro conscientiæ statuendum, Sponsum teneri manere cum prima, si cum secunda non intercessit *fides consensûs*, seu matrimonium; ut constat ex dictis; quia sic secunda Sponsalia cum sola

sola fide pactionis nulla sunt; secus, si intercessit fides consensus; quia tunc, contra fidem priorum, contractum matrimonium tenet, ut dicemus infra. In foro autem externo pronuntiandum erit pro secunda; ubi non viget Tridentini decretum irritans matrimonia clandestina, & præsumpta præsumptione consensus, ut const. ex priori Tit. Nam jure antiquo, secuta inter Sponfos copulâ, fides pactionis transibat in matrimonium, secundum dicta in superioribus; nimirum præsumptum præsumptione juris de jure; & ubi decretum illud non viget, res hujus casus manet sub dispositione juris antiqui.

732. Quæstio. 3. quid resolvendum, si quis post Sponsalia de futuro, cum alia facit Sponsalia de præsentibus? Resp. in dato casu eum debere manere cum secunda; quia Sponsalia de futuro solvantur per posteriora Sponsalia de præsentibus, licet illicitè contracta, & cum alterius injuria; & habetur in c. 1. b. t. ibi: *si quis alicui mulieri fidem fecerit pactionis, & sub hoc aliam duxerit* (nimirum per fidem consensus) *maneat cum illa, quam duxit; non enim rescindi debet tantum Sacramentum.*

733. Quæstio. 4. quid dicendum in casu, quo quis post Sponsalia de præsentibus non consummata, contrahit cum alia pariter per verba de præsentibus, & consummat? Resp. secunda non valere; atque adeo debere cum prima remanere. Const. ex c. duobus modis. 1. b. t. ibi: *si quis autem alicui mulieri fecerit fidem consensus, & aliam duxerit, dimittat hanc; & adhaerebit uxori priori; & clarius in c. Licet. 3. eod. ubi apertè habetur, quod, mulier post fidem consensus uni datam (licet carnalis copula non sit subsæcuta) separari debet à secundo, cui post primum dedit fidem consensus, etiam subsæcuta copulâ carnali, si ve factum id sit cum, si ve sine juramento.*

734. Dices: in c. Licet b. t. ait Pontifex: in casu proposito ibid: *aliquando ab antecessoribus aliter judicatum esse.* Resp. aliud non intelligi, quam ab illis in casu particulari aliter pronuntiatum esse, non statuendo legem communem; sed dicendo solum privatam opinionem suam. ita Sanchez. l. 2. h. c. D. 14. n. 4.

735. Dices: 2. si una eademque res duobus personis venditur, & deinde secundo emptori traditur, hujus emptio prævalet

adversus primam. L. Quoties c. de re Vendic. L. si autem §. si duobus ff. de Publiciana. L. si à Titio, ff. de rei Vendic. L. 2. C. de except. rei vendit. Idem procedit in re, duobus pignori obligatâ, & secundo tradita. L. Potior. §. 1. ff. Qui potiores; ergo pariter, matrimonio duplici contracto, præferri debet secundum, si in eo facta sit corporis traditio per matrimonii consummationem; quod confirmatur. 1. ex L. 1. C. de sponsal. ubi habetur, *feminas uni desponsatas, aliis nubere non prohiberi.* 2. ex c. 4. b. t. in. 1. Collectione apud Gonzalez. in c. 3. eod. num. 3. ubi solum dicitur: *convenientius videri, ut mulier, quæ post matrimonium ratum cum uno, alteri nupsit, & matrimonium cum hoc consummavit, debeat primo restitui; & in c. 5. eod. tit. & collect. apud eundem solum dicitur, tutius videri, ut primam in hoc casu habere debeat.*

Resp. N. conseq. 1. quia consummatio matrimonii non est traditio corporis ad constituendum jus in ejus usum alteri (hoc enim fit in isto contractu per consensum mutuum cordis, & oris, ut constat ex cit. CC.) sed tantum est usus juris consensum mutuo constituti. 2. quia in emptione traditio facit, supposito contractu, jus in re seu reale; contractus autem solus, solum jus ad rem, seu personale. Unde mirum non est, in civilibus illud huic præferri; præsertim in his, quæ non habent rationem Sacramenti; in matrimonio autem jus reale in corpus alterius acquiritur ipso contractu, qui, si solus defuerit, cetera etiam cum ipso coitu, frustrantur; ut dicitur in c. fin. b. t. & ad est ratio Sacramenti, per jam tradita superius.

Ad 1. confirmationem ex L. 1. Resp. 736. ibi sermonem esse de Sponsalibus de futuro, cum quibus omnino stat, matrimonium validè contrahi contra fidem alteri datam. Ad 2. & 3. Resp. ibi non accipi ly *convenientius*, & *tutius* comparativè, quasi & oppositum *conveniens*, & *tutum* foret; sed pro eo, quod juxta mentem universalis Ecclesiæ (non aliquarum privatarum Ecclesiarum) convenienter ejus legibus fieri debet, ne propter accidentem copulam rescindi debeat *tantum Sacramentum*, ut dicitur c. 3. b. t. quia facta semel mutua fide consensus, *cetera omnia, etiam cum ipso*

ipso coitu frustrantur, c. fin. eod. ut dictum est.

Ex hoc sequitur, matrimonium ratum tantum, etiam non juratum; non solvi, per subsequens, etiam consummatum, & juratum, const. ex cit. c. Licet, & habetur tum in c. Tua Fraternitas. 4. eod. ibi: *si Vir & mulier se recipiant expresso consensu mutuo de presenti, & alius, antequam se ducant, vel cognoscant, illam desponsaverit (intellige de presenti) ac traduxerit, neuter eorum (scilicet conjugum) altero superstite, poterit ad alia vota transire; consequenter, secundam desponsationem irritam esse stante primâ; & c. fin. eod. ibi: si persone junctæ legitimè cum aliis, postea factò contrabant, quòd prius de jure factum fuerit, non poterit irritari.* Sequitur, 2. matrimonium, etiam ratum tantum, esse impedimentum dirimens matrimonium contrahendum cum alio constante primo; non tamen esse impedimentum dirimens ingressum Religionis. Prima pars constat ex dict. Secunda ex cit. c. Tua Fraternitas, ibi: *etsi possit ad Monasterium transire.*

737. Quæstio. 5. an, qui contra fidem, pactionis, seu priora Sponsalia de futuro, cum alia contraxit per verba de presenti, sic liberetur à prioribus Sponsalibus, ut hæc omnino extinguantur? Resp. Probabilis esse, non extingui omnino, sed tantum suspendi secundum dicta à num. 264. Ex quo fit, quòd talis, qui primæ Sponsæ fidem datam violavit ducendo de presenti aliam, hæc mortuâ justè possit urgeri etiam in judicio à prima, ut datam fidem, remoto novo obice, quo stante suspensa fuerat, adimplere cogatur.

ARTICULUS II.

Sponsalia de presenti unius cum pluribus simul.

738. Advertendum, per *ligamen*, prout usurpatur inter impedimenta dirimentia, intelligi vinculum conjugale prioris matrimonii, quo durante posterius est irritum; quod, ut certius intelligatur, supponendum. 1. *polygamiam*, seu plures simul habere Uxores, in lege gratiæ, seu Evangelica inter Christianos, esse illicitum jure divino. Nam, *si quis dixerit, ait*

apertè Trid. Sess. 24. de matr. can. 2. licere Christianis plures simul habere Uxores, & hoc, nullâ lege divinâ, esse prohibitum, anathema sit, quod etiam constat ex c. Gaudemus. 8. de Divort. ubi: Innoc. III. Episcopo Tiberadiensi rescribens sic ait: *duas simul Uxores habere, absonum videtur, & inimicum fidei Christianæ, & ibid. §. licet: nulli unquam licuisse, insimul plures habere Uxores, nisi cui fuit divinâ revelatione concessum; & hanc juridicam sententiam suam ibid. ait, probari etiam testimonio veritatis in Evangelio testantis: quicumq; dimiserit Uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, macchatur.* Ex quo idem Pontifex ibid. §. si ergo, sic concludit: *si ergo, Uxore dimissa, duci & alia de jure non possit, fortius etiam ipsa retentâ; per quod evidenter apparet, pluralitatem in utroq; sexu (nimirum unius Viri cum pluribus Uxoribus; & unius mulieris, cum pluribus maritis) cum non ad imparia judicentur circa matrimonium, reprobandam; sic ille. Accedit, quòd matrimonium ex institutione divina sit unius ad unam tantum, ut pluribus ostendit P. Sanchez. lib. 7. D. 80. à n. 1. qui num. 3. meritò dicit, non posse sine errore defendi sententiam Cajetani, pluribus locis ibidem citatis docentis: *pluralitatem Uxorum nullibi reperiri interdictam; nullibi legem de Unitate Uxoribus, in Canonicis libris esse scriptam.**

Ex hoc sequitur, polygamiam, in utroque sexu, Christianis jure positivo, non tantum Canonico, sed etiam divino esse illicitam. 2. secundum matrimonium, inter Christianos, constante primo, utroque prius citato jure, esse invalidum, seclusâ dispensatione divinâ; consequenter inter eosdem *ligamen esse impedimentum jure positivo, humano, & divino*, dirimens matrimonium subsequens, constante primo. Dixi inter Christianos. Nam inter paganos (seu non baptizatos) etsi seclusâ dispensatione, etiam jure divino positivo, polygamia, seu secundum matrimonium constante primo, sit irritum, non tamen jure Canonico. Prima pars pat. quia etiam non baptizati divinis legibus, non tantum prohibentibus præcisè, sed etiam annullantibus, ligantur; ergo etiam illi, si constante primo matrimonio sive retentâ, sive dimissâ primâ Uxorè

Uxore, ducant aliam, *mechantur*, quod tamen verum non esset, si dato casu secundum matrimonium *validum* esset. Ratio secundæ partis est, ex *cit. c. Gaudemus*, quia Pagani *constitutionibus Canonis non ardeantur*. Dixi *seclusâ dispensatione divi- nâ*, polygamiam, seu pluralitatem Uxor- um (consequenter secundum matrimo- nium constante primo) inter Christianos esse non tantum illicitum, sed etiam irri- tum, & nullum; quia hoc licitum, ac va- lidum erit, si DEUS dispense, prout potest in lege sua positiva; & factum esse, constat cum Patriarchis, & aliis etiam san- ctissimis Viris, qui uno eodemque tem- pore plures simul Uxores habuerunt, Abraham, Saram, Agar, & Cethauram, *Genes. c. 16. & 25.* Jacob Liam, Rachel, Ba- lam, & Zelpham, *Genes. c. 29. & 30. &c.* de quibus Gonzalez. in *c. 2. b. t. à num. 4.* Dixi. 3. *pluralitatem Uxorum* jure divino il- licitam, quoad secundum matrimonium (stante primo) invalidum *seclusâ DEI* dispensatione, quam olim à DEO datam esse, constat ex sacris literis, ut dictum est.

740. Sed quæstio est. 5. *an etiam jure na- turali irrita sit polygamia*, seu pluralitas Uxorum simul respectu unius Viri, aut plu- ralitas maritorum simul unius Uxoris? Resp. pluralitatem Uxorum non esse pro- hibitam jure naturali *immediato*, quate- nus scilicet supponit pro præceptis uni- versalibus, quæ sunt velut prima princi- pia juris naturæ; qualia sunt præcepta, De- calogi, quæ certissimam, ac inviolabilem rectitudinis regulam continent. Nam in hæc nulla cadit dispensatio, ut not. San- chez. *lib. 7. hic D. 80. n. 7.* at in casum pro- positum cadit dispensatio, ut dictum est; ergo. Est tamen aliquo modo contra jus naturæ *mediatum*, quatenus hoc explicat conclusiones ex primis universalibus prin- cipis deductas. Ex his enim habetur, nasci, non per accidens, sed ex rei natura, causas rixarum, discordiæ, & quæ re- ctam familiæ gubernationem turbant, præsertim attento nativo feminarum in- genio, vix, sed communiter ægerrimè ferentium consortium alterius in re ama- ta, seu viro suo, ut nimis certum est; eo- dem modo discurrendum censet Sanchez. *cit. num. 15.* de pluralitate Virorum unius Uxoris; quæ tamen simpliciter impediri possunt.

Quæstio. 6. est, *an ea dispensatio in 741.* pluralitate Uxorum cum Patriarchis, & aliis in lege veteri, etiam olim extensa fue- rit ad gentiles? ita existimabant nonnulli; nec desunt aliqui Viri graves, qui apud Sanchez. *cit. n. 13.* affirmant, horum sen- tentiam probabilem existimantes; con- trarium tamen probabilius est, quod in populo gentili dispensationis ratio defi- ciat, quæ fuit *multiplicatio populi fidelis, & electi*. Cæterum hodie in lege Evan- gelica jus illud dispensatione DEI consti- tutum polygamis, à Christo sublatum est, ut const. ex dict.

ARTICULUS III.

Sponsalia de presenti unius cum plu- ribus successivè.

Ex fide certum est, *superstitem ex 742.* Conjugibus, soluto (alterius obitu) ma- trimonio, liberum esse, ac licitè transire posse ad secunda, & ulteriora vota, seu nu- ptias. Nam etsi, ut ait Apostolus *ad Rom. c. 7. quæ sub viro est mulier, alligata sit legi;* tamen, *si mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri, ut non sit adultera, si fue- rit cum alio viro.* & *1. ad Corinth. 7. si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat.* Ex quo apertè sequitur, secundas, & ulte- riores nuptias non tantum esse licitas Chri- stianis, sed etiam verum Sacramentum, novæ legis; suppositâ intentione ad hoc requisitâ; cùm non minus contineant le- gitimum contractum civilem, à Christo elevatum ad rationem Sacramenti, si fiant animo faciendi, quod Christus instituit; & quamvis complura in contrarium testi- monia soleant afferri, quibus secundæ nuptiæ negantur, esse *bonæ*, & appellan- tur fornicatio, poenitiæ subjiçiu- tur, benedici prohibentur, carere perfe- ctâ Sacramentali significatione dicuntur, & in transeuntes ad secunda vota non tan- tum irregularitas, sed etiam poenæ decer- nuntur; tamen ex his omnibus ostendi nequit, secundas nuptias, per se loquendo, & secundum se, malas, ac illicitas esse. Nam quando reprobantur secundæ nu- ptia, contingit quodam accidenti, nimis nimirum interdum intemperantiæ in qua- renda voluptate carnis. Sic in *c. Hæc ratione. 31. q. 1.* (præterquam quod dictum Capitulum non habeat vim Canonis, utpote conti- nens

nens præcisè dictum, non Papale, sed Authoris operis imperfecti, ut const. *ex gloss. ibid.* secundæ nuptiæ dicuntur *fornicatio*; non quâ hæc supponit pro illicita copula; sed, quâ pro *carnis divisione* in plures successivè, ut not. gloss. in casu.

743. Idem est de testimonio, S. Hieronymi relato in c. *Quomodo. 31. q. 1.* ubi condemnare videtur secundas viduarum nuptias. Nam quæ ibi adducit, loquitur ad exhortationem Vidualis continentiæ; non in condemnationem secundarum nuptiarum; cum ipse, ut refertur in c. *Aperiant*, immediatè sequenti protestetur, *ibi: non damno digamos, imò nec trigamos, & si dici potest, octogamos.* Quod autem pœnitentia olim transeuntibus ad secunda vota imponebatur, non arguit culpam, nisi in accidenti, nimiam nimirum incontinentiæ. Nec ex eo, quòd secundis nuptiis in c. 1. *& c. Vir, de secundis nuptiis*, benedictio negetur, culpæ Reum facit transitus ad secunda vota; cum id solum contingat ex eo, quòd propter divisionem carnis in plures tale secundum matrimonium non significet perfectam conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ est unius ad unam; ob quod etiam in bigamos irregularitas decernitur, quæ tamen non habet rationem pœnæ; c. *debitum, de Bigamis*; sed solum inhabilitatis ad sacros ordines. Neque per hoc secundæ Christianorum nuptiæ à Sacramenti ratione deficiunt. Nam ut matrimonium sit Sacramentum, satis est, quòd significet *perpetuam conjunctionem* Christi cum Ecclesia, quòd autem sit *unius Sponsi cum Sponsa unica*, de essentia illius Sacramenti non est, ut liquet ex dict. Pœnæ porro jure civili secundis nuptiis decreta; nullæ sunt, & abrogatæ; utpote contrariæ bonis moribus, & debitæ matrimonii libertati, ut dicemus infra; his præmissis.

§. I.

De Libello Repudii.

744. Inter multiplices antiquorum modos, quibus olim conjuges à se invicem discedebant, præter *divortium*, quod est Viri ab Uxore, vel Uxoris à Viro, legitima separatio, ut not. Sylvester. *V. divortium*;

& Frivolum (quo intelligitur ille unius conjugis ab altero recessus, qui nascitur ex quodam quandoque disgustu, vel ira subita, conjugali amore frigescente, ut tamen mitescente rursum animo, alter ad alterum revertatur, ut exponit Pereyra in *Elucidario lib. 3. num. 1713.*) numeratur etiam *Repudium*, hoc est, dimissio Uxoris, etiam quoad conjugale vinculum, aliâ superinductâ. Et quia, cum Vir Uxorem taliter dimittebat, in scriptura id faciebat, hæc, vel simili formâ: *conditione tuâ non utor, vel res tuas tibi habeto; aut res tuas tibi agito*, ea scriptura, *libellus* (nempe pusillus liber) *repudii* dicebatur, teste Pereyra cit.

Quæstio autem est. 1. an Libellus repudii olim in lege veteri fuerit licitus? 2. an etiam nunc in lege Evangelica? 3. an hodie saltem liceat ex alterius conjugis adulterio? Ante resolutionem not. 1. matrimonium etiam ratum tantum, exprimæva institutione sua, esse insolubile (seclusâ dispensatione divinâ) mutuo conjugum consensu; juxta dict. supr. Not. 2. Libellum repudii olim in lege veteri fuisse in usu, *DEI permissione*, ob cordis duritiam illius populi, prout const. ex c. *Gaudemus 8. de divort.* & alibi etiam apud Basil. Pontium l. 7. c. 50. n. 2.

Not. 3. ex his verbis Christi Matth. 19. *Quicumq; dimiserit Uxorem suam, nisi ob fornicationem; & aliam duxerit, machatur*, non inferri legitimè: *non machari eum, qui duxerit aliam Uxorem priori dimissa propter fornicationem*, seu adulterium ab eo commissum, aut, *qui duxerit taliter dimissam superflite priori Viro*. Quia ibi Christus non loquitur de dimissione Uxoris quoad vinculum, sed tantum quoad *thorum*.

Hujus ratio est primò; quia, si suppositâ Uxoris fornicatione ea validè dimitti posset; etiam quoad vinculum, dimissa non teneretur divinâ lege, vel innupta remanere, vel Viro reconciliari, quod est contra Apostolum. 1. Corinth. 7. ubi declarat mentem Christi (de qua Matth. 19.) dicens: *iisdem autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non Ego, sed Dominus: Uxorem à Viro non discedere* (nimirum, ubi non est causa fornicationis, seu justa causa, ut ait S. Aug. lib. 1. de adulter. Conjug. à c. 1. & seq.) *Quod si discesserit*, (nimirum ex justa

ex juſta cauſa fornicationis permiſſa à Chriſto) manere inuuptam, aut Viro ſuo reconciliari; quod non ſtare, ſi propterea conjugale vinculum ſolveretur.

Deinde certum eſt, libellum repudii omnino ſublatus eſſe per Chriſtum in lege Evangelica, ut dicemus infra; hoc autem non ſtare, ſi cauſa fornicationis etiam nunc quoad conjugale vinculum, ſolveretur matrimonium. Nam olim non tantum ob fornicationem, ſed etiam ob cordis duriciam Judæis permiſſus fuerat libellus repudii; ergo ſi cauſa fornicationis adhuc liceret conjugale vinculum ſolvere, aliqua ſui parte, adhuc ſtare libellus repudii. Nam dare libellum repudii, nihil aliud erat in veteri lege, quam dimiſſa priori Uxore, liberum eſſe Viro, aliam ducere; his præmiſſis:

746. Ad 1. q. in n. 745. Reſp. in lege Veteri fuiſſe licitum libellum repudii, ſic Azor p. 1. lib. 6. c. 1. q. 8. & alii. Nam ſi fuiſſet tantum permiſſus ad evitandum, majus malum; & non licitus, ſeu citra peccatum, vix credi poteſt, quòd non aliquando ſaltem vel à ſacris literis, vel à Prophetis fuiſſet correptus tum in caſu, quo Uxores dimittebantur; tum etiam, quo dimiſſæ ad alia vota tranſibant; cujus tamen correptionis nullum argumentum habemus.

Ad 2. & 3. q. ibid. Reſp. omnino ſublatus eſſe per Chriſtum in lege Evangelica libellum repudii, etiam cauſa fornicationis. Ratio eſt ex num. 745. nec obſtat Durandus in 4. diſt. 35. q. 2. ad 2. volens textum ex D. Matth. 19. non velle aliud, quàm quòd ducens dimiſſam ex alia, quàm cauſa fornicationis, mæchatur; non autem, ſi ducat dimiſſam fornicationis cauſa. Nam hæc explicatio falſa eſt, tum teſte D. Aug. cit. n. priori, tum Trident. ſeſſ. 24. de Reform. matr. Can. 10. tum maximè D. Paulo in n. 745.

Et licet verum ſit, quòd Phariſæi, dum Chriſtum interrogabant, an liceat homini dimittere Uxorem, quæſtionem fecerint de dimiſſione quoad vinculum, quam repudium vocabant; Chriſtus tamen reſpondens, eam licere cauſa fornicationis, reſpondit de dimiſſione incluſa in repudio, quæ eſt quoad thorum; non de incluſente, quæ eſt quoad vinculum, ut colligitur ex D. Paulo cit. Trident. cit. &

conſtanti Eccleſiæ uſu. Ex hoc ſequitur, quòd Chriſtus non exceperit cauſam fornicationis, quaſi eà ſtante, liberum vellet repudium, ſed eo penitus negato conceſſerit ſolum thori divortium.

Dices: in c. Concubiſti. 32. q. 7. dicitur, quòd, qui concubuit cum Sorore Uxoris ſuæ, neutram habeat; & ſi Uxor non fuit ſcleris conſcia, nec ſe continere velit, nubere poſſit in Domino, cui vult. Reſp. talem omnino poſſe nubere, cui vult, ſed poſt Viri mortem; aliàs enim, ut ait Apoſtolus cit. inuupta manere debet, donec dormierit Vir ejus.

Sic, quando in c. ſi quæ Mulier 31. q. 1. dicitur, Virum, ſi probare poſſit, Uxorem conſilii in mortem Viri ſui ream, poſſe hanc dimittere, & aliam ducere; & c. Uxor. 32. q. 7. quòd in diſto Apoſtoli 1. Corinth. 7. (ut Uxor à Viro non diſcedat, niſi cauſa fornicationis, & ſi diſceſſerit, aut inuupta maneat, aut reconcilietur) non idem ſubdatur de Viro, quod de Uxore præmiſiſt, cauſam dando: quia Viro liceat ducere aliam. Reſp. illud c. ſi quæ Mulier deſumptum eſſe ex Concilio apud Vermerias apocrypho, & ſpurio, ut oſtendit Maldonatus in c. 19. Matth. & c. Uxor (pro quo citatur D. Ambroſius) eſſe huic Sancto impoſitum ab Hæreticis; ſic Gartianus in c. Quod propoſuiſti. 32. q. 7. & Abulens. in c. 19. Matth. q. 76. ad 1. & alii. Et licet divortium in lege gratiæ ſucceſſerit libello repudii in lege veteri, non ſucceſſit ei tamen, niſi quoad jus cauſa fornicationis dimittendi Uxorem à thoro; non autem quoad omnia, maximè quoad vinculum; eum matrimonium in lege gratiæ ſit Sacramentum, & ſi conſummatum ſit, quoad vinculum (ex ſignificatione Sacramentali) omnino diſſolubile.

Cæterum eſto præcitati textus, S. Ambroſium, & alios Patres, tanquam veros Authores ſuos recognoſcerent, adhuc non prodeſſent. Nam quando concedunt Viro, cauſa fornicationis dimiſſa Uxore aliam ducere, ac idem negant Uxori cauſa fornicationis dimiſſo Viro, loquuntur de legibus ſeculi ſuo tempore uſitatiffimis, quæ aliter de feminis, aliter de Viris disponebant, ut fuſè oſtendit Baſil. Pontius lib. 7. de Matr. c. 52. à n. 2. ex Ferdinando de Mendoza lib. 2. de Conſirm. Concil. Illiberit. c. 30. ſed, ut rectè monet cit. D. Ambroſius lib. de

lib. de Abraham c. 4. nemo sibi blandiatur de legibus hominum; cum apertè aliud sit de lege Christi.

§. 2.

De Sponsa duorum inter infideles.

749. Pluralitatem Uxorum, etiam infidelibus, post legem Christi Evangelicam esse illicitam, constat ex dictis; de his tamen quæri potest. 1. an matrimonium infidelium durante infidelitate contractum, licet consummatum non sit, dissolvi possit? Resp. 1. non posse solvi ullâ potestate humanâ ex n. 738. & ratio est. 1. non potestate Principis Ecclesiastici, quia huic infideles non subfunt; deinde non Principis Laici; quia circa matrimonii dissolutionem nullam à DEO acceperunt potestatem; & in eo, quod est divinæ institutionis, nihil possunt.

750. Quær. 2. an eorum matrimonium consummatum dissolvi possit auctoritate Pontificis justâ causâ interveniente, postquam uterque ad fidem conversus est? Resp. negativè cum Azor p. 2. *Instit. moral. lib. 5. c. 2.* Nam matrimonia fidelium, saltem consummata, solvi non possunt, nisi in casibus jure expressis; sic Panorm. in c. Ex parte de Convers. Conjugat. §. Nos autem. & pat. ex textu, ubi habetur, quòd, etsi possit non inconsultè videri, quòd matrimonium semel ritè contractum conjugè utroque vivente in nullo possit casu dissolvi, nisi fortè secus fieret ex revelatione divina; solum tamen excipitur professio religiosa: ergo in reliquis, nisi in casu professionis, aut ejus, quod divinâ revelatione habetur, verum manet, quod in nullo possit casu dissolvi; sed matrimonium infidelium consummatum, suscepto baptismo evadit consummatum matrimonium fidelium; ergo. Si dicas: nullus datur casus in jure expressus, in quo possit solvi matrimonium fidelium consummatum. Resp. duplex esse consummatum matrimonium fidelium; primò, quod contractum & consummatum est tempore fidelitatis. 2. quod contractum & consummatum est in infidelitate, conjugibus tamen postea conversis ad veram fidem; & de hoc secundo procedit propositio, quâ dico, matrimonia fidelium, saltem consummata, solvi non posse nisi in casibus jure expressis, ut patet ex ipsi terminis quæstionis propo-

sita. Cum enim matrimonia fidelium (accepta in secundo sensu) quantumvis in infidelitate consummata sint, dissolvi posse à Pontifice, doceat Navarrus, Sanchez, & alii apud Castropalaum D. 2. de sponsal. p. 2. §. 3. num. 2. (licet etiam in hoc puncto teneam contrarium) meritò loqui debui cum exceptione casuum jure expressorum; pro quo illi Doctores affirmant, à Pontifice illa dissolvi posse. Hinc illud, quod opponitur: nullus datur casus in jure, in quo possit solvi matrimonium fidelium, consummatum in infidelitate, negant Navarr. Sanchez, & alii, volentes matrimonia in infidelitate consummata, post conversionem solvi posse à Pontifice ex justa causa, qualis esset professio religiosa unius è conversis; licet concedant, nullum dari casum in jure, quo solvi possit matrimonium fidelium in fidelitate consummatum. V. Castropal. cit.

Nec obstat Navarr. lib. 3. *Constit. de Convers. infidel.* & Sanchez. lib. 2. h. c. D. 17. num. 2. apud Castropal. de sponsal. D. 2. p. 2. §. 3. n. 2. contrarium sentientes. 1. quia matrimonia infidelium, etiam consummata, non sunt Sacramentum; ergo non habent omnimodam exinde insolubilitatem, nec eam, quam habet matrimonium fidelium; c. fin. 38. q. 1. deinde insolubilitatem rato fidelium matrimonio in c. Quanto, de divort. Pontifex tribuit, quia est Sacramentum; si ergo hoc nihilominus à Pontifice solvi potest, juxta valdè probabilem sent. multorum; poterit ergo & illud. Verùm Resp. esto matrimonium infidelium consummatum, etiam suscepto baptismo ab utroque, non evadat Sacramentum ex dict. à num. 350. (licet alii hoc negent ibid.) consequenter titulo Sacramenti non habeat insolubilitatem, adhuc tamen solvi non posse à Pontifice, nisi in casibus à Christo concessis, ut dictum est, habet tamen ex institutione divinâ.

Quær. 3. an conjunx infidelis ad 751. fidem conversus, non obstante matrimonio in infidelitate contracto, & consummato, validè, ac licitè transire possit ad aliud matrimonium? ante responsonem nota, quòd unus conjugum infidelium, ab altero ad fidem converso, dupliciter discedere possit. 1. physicè, si nullo modo velit illi cohabitare; 2. moraliter, si quidem

eum eo velit habitare, sed non pacifice, nimirum sine injuria creatoris, aut periculo perversionis in altero, his præmissis:

Resp. quando infidelis ob nullam aliam causam habitare renuit cum converso, quam quia conversus, & fidem Christi amplexus est, conversum valide, ac licite, illo relicto, posse transire ad aliud matrimonium; Const. ex c. simili modo 28. q. 1. ibi: *simili modo si quis ex conjugatis* (intellige infidelibus) *baptizatus est, & alter gentilis, eum sequi non vult, sicut dixit apostolus: infidelis, si discedit, discedat.* Et ex Rubrica immediatè sequentis c. ibi: *sine culpa relinquitur, Uxor, quæ cum fidei habitare noluerit.* Deinde ex c. Gaudemus 8. de Dvoort. ibi: *qui autem secundum ritum suum legitimam repudiaverit Uxorem (cum tale repudium Veritas in Evangelio reproberit) nunquam eâ vivente licitè poterit aliam, etiam ad fidem conversus, habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso.*

753. Ex hoc sequitur. 1. idem dicendum, si velit quidem cum eo habitare *physicè*, sed non *moraliter*, nimirum sine injuria creatoris (quod fieret, si nomen Christi despiceret, ejus cultum impediret, aut conversionem Domesticorum &c.) Const. ex c. Gaudemus, ibi: *aut etiam consentiat, non tamen absq. contumelia creatoris, &c.* Quanto. 7. cod. ibi: *si enim alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia Divini nominis ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit.*

754. Sequitur. 2. idem dicendum esse, si Conjunx infidelis incitaret fidelem ad peccatum grave; sic enim saltem indirectè injuriam irrogaret creatori; colligitur ex c. Idololatria. 28. q. 1. ibi: (ut habet Rubrica) licitè dimittitur Uxor (nimirum infidelis) quæ virum suum (intellige fidelem) *quærit ad malum; & const. ex cit. c. Quanto.* ibi: *vel, ut eum pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare volente; & cit. c. Gaudemus, ibi: vel, ut eum pertrahat ad mortale peccatum.* Ratio horum omnium est ex c. 1. ad Corinth. 7. ubi Apostolus promulgat dispensationem Christi, factam in datis casibus ibi: *si infidelis discedit, discedat.* Neque enim servituti (sic

Tom. IV.

appellat matrimonii vinculum) *subjectus est, soror, vel frater conversus, quin possit ad alia vota transire.*

Ex hoc autem oritur quæstio, an matrimonium infidelium dissolvatur ipso facto per hoc, quod unus eorum sit conversus ad fidem. Resp. à quibusdam apud Castropal. D. 3. de sponsal. p. 2. §. 3. num. 4. affirmari, in prædictis casibus ipso facto, quod infidelis à converso discedat, solvi matrimonium; quia Paulus expressè dicit: *fidelem liberum esse à vinculo conjugii, si alter discedat.* Verùm alii probabilius docent, non solvi prius, quam fidelis aliud matrimonium contrahat. Collig. ex c. Gaudemus, de divortiiis. ubi dicitur, quod conversus ad fidem compellendus sit, recipere Uxorem priorem, postea conversam, *si matrimonium aliud nondum est contractum.* Paulus autem dicit, fidelem solutum à vinculo conjugii *prohibente aliud conjugium;* non autem à vinculo obligante fidelem, si, antequam aliud matrimonium ineat, etiam alter convertatur.

Dices. 1. sine claro periculo injuria creatoris fidelis conjugii infideli cohabitare non potest. 2. in CC. Toleran. 4. Can. 6. prohibetur, ne Uxor Judæa ad fidem conversa cum vero Judæo in infidelitate permanente habitet. ad. 1. Resp. sæpe posse cohabitare non modò sine omni periculo peccati, sed etiam cum spe conversionis, ut ostendunt plura exempla. ad 2. Resp. CC. illud non extendi ad omnes; cum fuerit tantum provinciale; nec loqui de omnibus conversis, sed conversis ex Judaismo, & quidem de Uxore periclitante ob subjectionem Viri. Et si illa discedat, ducta non infidelitate Viri, sed vi hujus præcepti, non verificaretur, quod infidelis discedat.

Ex hoc Coll. 1. fidelem ab infidelitate conversum tamdiu ligari vinculo matrimonii prius contracti cum infideli, quam diu iste à converso non recedit, vel *physicè*, vel *moraliter.* Coll. 2. infideli converso, à quo infidelis non discedit, non licere assumere sacros ordines sine infidelis conjugis consensu; quia non licet illi assumere statum impossibilem cum matrimonio; Sanchez. lib. 7. D. 76. à n. 1. Et quia susceptio ordinis sacri non solvit matrimonium fidelium, etiam ratum tantum; multò minus solvet matrimonium

Bb

nium

nium consummatum fidelis cum infideli; Sanchez. *cit. circa fin. num. 7.* Coll. 3. probabilius etiam esse, hoc matrimonium nec religiosâ professi ne solvi; quia hæc potestas solvendi matrimonium consummatum, nullibi attributa est Professioni Religiosâ; sic Castropal. *cit. num. 12.* Hurrad. *D. 8. Difficult. 14. num. 52.* licet contrarium teneat Sanchez. *D. 76. n. 12.* Nec obstat, quòd illud solvatur, quando unus infidelium ad fidem veram conversus, altero in infidelitate permanente, ac converso sine creatoris injuria cohabitare nolente, inquit aliud matrimonium. Nam hoc contingit DEI dispensatione, per Apostolum intimatâ, in favorem veræ Religionis, ne fidelis cogatur vitam cõlibem ducere, vel cum infideli obstinate permanente in perfidia, cum perversionis periculo, permanere; quæ ratio non militat sponte assumptâ vitâ cõlibe.

758. Quæres 4. an infideles, qui durante infidelitate contraxerunt matrimonium in gradibus prohibitis jure solum Ecclesiastico, debeant post conversionem suam ab invicem eo titulo separari? Resp. quòd non, ex *c. Gaudemus*, ibi: quia in præmissis gradibus licitè contractum est à Paganis, qui constitutionibus Canonicis non arctantur; & ideo dicit Apostolus 1. Corinth. 7. *si quis frater infidelem habeat Uxorem; & hac consentis habitare cum eo, non dimittat illam.*

759. Quæres 5. an Vir infidelis, qui durante infidelitate plures Uxores simul habuit, suscepto baptisimo possit omnes simul retinere? Resp. negativè, ex *cit.*

c. Gaudemus, ibi: *nunquam licuit insimul plures Uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum.* Ex hoc sequitur quòd talis Vir infidelis, post suam conversionem debeat retinere primam Uxorem legitimam, si hæc (etiam non conversa) cum eo pacificè velit cohabitare sine contumelia Creatoris. Ratio est ex *cit. c. Gaudemus*; ubi Conjugi ad fidem converso non conceditur legitimam Uxorem, etiam non conversam dimittere, nisi nolit ei pacificè (juxta *num. 752.*) cohabitare. Sequitur. 2. si prima legitima Uxor nolit ad fidem converti, nec Viro converso pacificè cohabitare juxta *num. 752.* posse illum eâ dimissâ ducere aliam, vel ex his unam, quas prius habuit; sed non legitimè: vel novam extra illas. Ratio hujus est ex præced.

Sequitur. 3. Si Uxor infidelis, sed legitima, noluit Viro converso pacificè in principio conversionis cohabitare; postea tamen (antequam conversus ducat aliam) mutatâ mente convertatur; aut adhuc quidem infidelis, sed illi pacificè cohabitare velit, conversum non posse ducere aliam. Const. ex *c. Gaudemus*, ibi: *quòd si conversum ad fidem & illa conversa sequatur, antequam propter causas prædictas, legitimam ille ducat Uxorem; eam recipere compellatur, ubi not. propter causas prædictas.* Nam inter eas, ob quas potest aliam ducere, est, *si mulier infidelis nolit ei pacificè convivere; ergo ubi vult, non potest aliam ducere.*

☞(○)☞



QUÆ